

1548

Germanos Principes solveret, atque ab immani sumptuum mole aliqua ex parte liberaretur, magnam Hispanorum manum, qui illi in Germania militaverant, in Italiam miserat, Mediolanumque prævalidis munitionibus circumcingi iusserat; quamplurima ex Germania bellica tormenta, partim ex occupatis urbibus ablata, partim a proceribus dono accepta, sulphureique pulveris vim eodem importari præceperat; quæ Tridento secundo Athesi amne ut Veronam, inde in Insubres deferrentur, petenti, a Senatu concessum est. Hæc eo impensiore cura a Cæsare fiebant, quod nullis casibus a se Mediolanense divelli imperium decreverat, atque illud veluti tutissimum munimentum objicere adversus Gallos statuerat, quos nunquam quieturos, sed novas quotidie res in Italia moturos sciret: atque eo magis, quod Henricus superiore anno, Salassiorum Principe ejecto, eam sibi ditionem adjecerat; neque, ut ea, quæ in Subalpinis oppida fuerant occupata, Allobrogum Duci restitueret, vnquam adduci potuerat; verum sub id tempus (an occulta aliqua spe, an suarum in Italia invisendarum urbium studio, incertum) repente præter omnium expectationem, magno Gallorum nobilium numero, atque haud parva militum manu comitante, Alpes transgressus, se Augustam Taurinorum contulerat. De Regis adventu certior Senatus factus, Bernardum Naugerium, qui tum præturam Patavinam gerebat, ad Regem legatum misit, qui officii plena legatione perfunctus, mox Patavium reversus est. Rex paucos dies in Subalpinis commoratus, remensis Alpibus, in Galliam rediit. Complures ex illius comitatu urbis spectandæ studio Venetias advenere, inter quos principes Galliæ viri, Vindocini Dux, Guisus maris præfectus, qui publico hospitio excepti, ac perhonorifice habiti sunt.

Cæsaris sententia de Mediolanensi imperio retinendo.

Henricus Galliarum Rex, ejecto Principe, Salassiorum regionem occupat.

Henricus Rex Taurinum se conferre.

Bernardus Naugerius ad Regem Galliarum orator missus.

Libri Sexti & Tomi I.
FINIS.